

oratione de Aristocratiâ à nobis bonâ cum gratiâ abiit, natus est ex familiâ Stöccerianâ, & ab avunculis suis M. JACOBO & M. ERNESTO STOCCERIS Muscaviæ & Rutenburgi in viciniâ Pasto-ribus animarum, ante quadriennium buc ablegatus, & necessa-riis adminiculis hætenus suffultus, obedientiam atq; diligentiam, sedulam exhibuit, licet sæpius non uno cum morbo conflictari necesse habuerit: ANDREAS Görlicio buc ante septennium accedens profectûs suos ita omninò auxit & amplificavit, ut certa nos spes fo-veat utrumq; aliquando Reipubl. Christianæ cum fructu inservitu-rum esse, id quod ex animo vovemus. Hisce adjunxit sese Budissi-nus noster

### ELIAS Richter

ἐξ ἀπαλῶν ὀνύχων & ipsis statim egressus serperastris disciplinâ & institutione nostrâ usus, tertius post QUEITSCHIUM & HOLZE-LIUM, qui à lanâ & telâ faciendâ, à lanipendiis & carminariis ad carmina Musarum, ad fila Dialecticæ Ariadnæ & exordia dedu-cti fuerunt Rhetorica, quod monui programme XXXIVtò, quum ante septennium hoc pannificis cujusdam Bischoffwerdensis filium egregius cum profectibus Lipsiâ dimitterem, ubi insimul adje-ci, non semper ex progenitoribus virtutem æstumandam esse, idq; versibus eloquentissimi Theologi Wittenbergensis D. PAULLI RÖBERI Ἰς τὸν ἐν ἀγίοις comprobavi, quos, quia elegantes & gra-ves sunt, paullo post annectam.

Ego verò. hisce meis tribus Discipulis à Patre luminum lu-men eloquentiæ, sapientiæ atq; modestiæ ex animo, qui Præceptoris esse debet, verè paterno voveo, comprecor & exopto

Sit tibi judicij pia norma & fervor Eliæ

RICHTER, & justæ Regula rectæ regat.

HÜBNERUM exaltet celsissima dextra Tonantis,

ut mundi fastum calcet, humiq; terat.

Nil Lübisches lubeat, nisi quod luhuisse Jehovæ

cernis & officiò, quod jubet esse viros.

Regula